



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Absolutio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

curans abortum exponit se periculo expellendi foetum masculinum, atque adeo committendi homicidium; verumtamen est, quod si deinde foetus deprehendatur esse femineus, irregularitas non incurratur, quia hæc pœna non incurritur ob peccatum homicidii, nisi homicidio jam secuto; in dubio autem, num foetus ille fuerit mas, an foemina, irregularitas incurritur.

A B S O L U T I O .

11 **Q**Uæritur. Quænam ex verbis absolutionis: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, pertineat ad essentiam formæ, & sint necessaria ad valorem sacramenti?

Resp. Quamvis DD. inter se pugnent, & alii scripserint, hæc verba: *à peccatis tuis* esse solum de necessitate præcepti, & ad essentiam formæ non spectare, ac sufficere doceant ista: *absolvo te*: tamen negari non potest major probabilitas sententiæ dicentis, verba illa. *à peccatis tuis*: spectare quoque ad essentiam formæ, nam ea est plurium opinio, & colligi videtur ex Trident. sess. 14. cap. 3. Maximè, quia illa verba: *absolvo te*: sunt indifferentia ad absolutionem à peccatis, & censuris: ergo ut significant determinatè absolutionem à peccatis, debent determinari per hæc: *à peccatis tuis*: cum itaque tutior sit ista sententia, proculdubio qui ea omittit, exponit Sacramentum periculo nullitatis, quia dum agitur de Sacramentorum valore, semper sunt tutiora sequenda juxta decretum Innoc. XII. *damnantis prop. 1.*

12 Quæritur. An absolutio à peccatis
pos-

possit conferri absenti, qui per Epistolam, vel per nuncium confiteretur?

Res. Negativè cum comm. Theologorum, ut expressè *Clemens VIII. in suo decreto edito 16. Junii 1602.* in quo damnavit opinionem asserentium, licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere; & sub excomm. ipso facto incurrenda Romano Pontifici reservata prohibuit, ne ullus deinceps talem propositionem, tanquam in aliquo casu probabilem defenderet, doceret, imprimeret, aut in praxim aliquo modo deduceret. Contra verò absolutio à censuris potest absenti conferri, sive per litteras, sive per nuncium, aut alio facto, quo exprimeretur intentio absolvendi, prout patet ex rescriptis, & Bullis Pontificum ad aliquos directis; ratio est, quia excommunicatio est, pœna Ecclesiastica, quæ etiam absenti infligi potest, ergo etiam remitti.

13. Quæritur. Quibus sit neganda, & quibus differenda absolutio?

Res. Judicium super hoc relinquitur prudentiæ Confessarii juxta occurrentes circumstantias, sed neganda est, vel differenda indispositis, & accedentibus non præmisso examine conscientie; non habentibus propositum non peccandi de cætero, nec contritionem, vel attritionem supernaturalem de peccatis; nec volentibus obedire Confessario præscribenti remedia, ne relabantur; ignorantibus mysteria, quæ sunt necessaria necessitate medii; negligentibus addiscere necessaria necessitate præcepti; non restituentibus, dum restituere valent; existentibus in occasione proxima peccan-

di juxta dicenda *V. Occasio proxima*; item casu aliquo, vel excommunicatione reservata ligatis; item cum nulla est spes emendationis &c. Vide *V. Consuetudo*. Ponderent igitur Confessarii, sciantque absolutiones inconsideratè, & nimia facilitate indignis collatas, nutrire penitentes in peccatis.

14. Quæritur. An Prælati Regulares possint in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurta?

Resp. Negative, ratio est, quia privilegia Prælati Regularibus à Summis Pontificibus ad id concessa fuerunt revocata, ut constat *ex propositione 4. inter damnatas ab Alexandro VII.* & licet per ejusdem decretum nec expressè, nec virtualiter proscripita maneat opinio multorum asserentium, posse Prælatos absolvere subditos suos in dicto foro ab ea hæresi: nihilominus tamen tenendum est, quod non possint, quia *per Tribunal S. Inquisitionis, ac per S. Congreg. 17. Novembris 1628. est eis prohibitum.*

15. Quæritur. An Sacramentalis satisfactio debeat ex Christi institutione præire absolutionem, natura rei ad ipsum dicente; & an per illam praxim absolvendi penitentes, & antequam satisfactionem impleverint, ordo penitentiæ sit inversus?

Resp. Negative, ratio est, quia neque satisfactio ex Christi institutione, ac præscripto præmitti debet absolutioni, neque ex ipsa natura sacramenti penitentiæ instituti per modum judicii, neque ex ipsa natura rei (quamvis alioquin possit) penitentia ante absolutionem impleri; ergo quamvis Ecclesia consueverit aliquando absolutionem Ca-

noni-

nonicam, ac pro foro externo (qua penitentes absolvebantur à residuis penis Canonis, & publicis, nec non ab impedimento accedendi ad sacram mensam, unde per illam dicebantur reconciliari Ecclesiæ, & Sacro Altari) post executionem penitentiae conferre; absolutio tamen Sacramentalis, ac pro foro interno non debet post penitentiam conferri; quia solum contritio, & confessio requiruntur tanquam partes essentialia ad Sacramentum penitentiae; satisfactio verò requiritur tanquam pars integralis, sine qua essentia Sacramenti, ejusdem precipuus effectus, nempe peccati remissio haberi potest, quod ex eo fit perspicuum, quia hoc Sacramentum conferri potest, etiam iis, qui sensibus destituti nullam possunt satisfactionem ponere; ergo institutio Christi non fert, quod satisfactio essentialiter ad absolutionem præmittatur; neque id postulat natura sacramenti hujus instituti per modum judicii, sicut enim in judicio humano executio pene consequitur ad sententiam, ita in judicio Sacramentali connaturaliter consequitur satisfactio, atque adeò praxis Ecclesiæ præsens absolvendi, ante satisfactionem impletam non invertit ordinem penitentiae, sed servat ordinem à Christo Domino institutum consonum naturis rerum, ut patet ex *propositione 16. inter damnatas ab Alexandro VIII.* neque consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti penitentiae, tam in absolvendo penitentes statim ante penitentiam impletam, quam in conferendo absolutionem passim pro venialibus pro abusu habetur ab Ecclesia, ut falsò docet *propositio 18. ab eodem Pontifice damnata.*